

cione reverendissimorum in Cristo patrum et dominorum domini Heinrici archyepiscopi Mogunt(ini) et quorundam aliorum dominorum episcoporum istarum parciū sanctitati vestre nuper facta vos credimus plenius informatum, sanctitatem vestram devotis precibus exhortamur, quatenus in acie mentis vestre revolutis complexis nexibus, qui Cristi populo ex dissensione huiusmodi noscuntur notorie imminere, dictum dominum principemque nostrum et Romanum imperium sinatis in sui status existencia, honore et reverencia convenienter absque dispendio permanere. Intuitu nostrorum humilium meritorum sanctitatis vestre piis affectibus uberius cogitantes de salubri reconciliacione eiusdem, quam communiter omnes populi Romani imperii dicioni subiecti, tam principes ecclesiastici quam seculares ac alii homines, cuiuscunque nominis aut honoris existant, sincerissimis animis desiderant et affectant, memoratis processibus contra predictam regni et imperii Romanorum et ex consequenti nostre patrie Germanie, quam a tempore prefati Karoli citra regnum et imperium huiusmodi habere promeruit, consuetudinem, ut predicatur, promulgatis, quamvis prefatum dominum^a imperatorem et nos non noscantur^b aliququaliter ligavisse, per sanctitatis vestre clemenciam revocatis, sic quod eundem dominum nostrum ad gremium ecclesie satisfactione condigna redire desiderabiliter affectantem ad premissa dispendia et pericula submovenda de solita benignitate ad reformationis gratiam dignemini admittere in sinu vestre gracie uberius confovendo. Et ut de statu terrarum imperii Alemanie vestra sanctitas in hac parte valeat uberius informari, vos cupimus non latere, quod si huiusmodi sue reconciliacionis negocium debebit moram trahere longiorem, ex eo gentes communiter cristiane indevociores reddentur et a consuetis devocionis et subiectionis obedienciis, quas vobis et sedi apostolice plus ceteris gentibus hactenus promptissime inpenderunt, propter processus acutis frontibus fulminatos non modicum retrahentur et forte ex eo sub rebellione et inobediencia contra vestrum et sedis honorem, nolentes prefatum dominum Romanorum imperatorem et iura imperii sic contra Deum et iusticiam relinquere desolata, multarum turbarum forti et potenti comitiva diucius remanebunt. Quod speramus vestram sanctitatem pii patris more intercipere ad tollendum scandala populi fidei orthodoxe.

a) Ueber der Zeile nachgetragen.
'i' corr.

b) 'noscatur' Or. 'a' über